ACADEMIA PARISIENSIS. N° 83.

FACULTAS MEDICÆ.

PROPOSITIONES

MEDICO-PRACTICÆ AC PHILOSOPHICÆ;

THESIS

Quam, Deo favente, in saluberimâ Facultati Medicæ Parisiensi dilucidare ac tueri conabitur, die mensis 23 aprilis, ad Doctoris gradum promovendus,

PHILIPPUS HUTIN, de Laneuville,

(Mosæ);

In Academiâ parisiensi litterarum Baccalaureus; vetus Alumnus primarius hospitiorum Lutetiæ, Scolæque practicæ ejusdem urbis Laureatus, etc.

Ex experimentis sententia.

PARISIIS,

EX TYPIS DIDOT JUNIORIS,

Viâ dictâ DES MAÇONS-SORBONNE.

1830.

FACULTAS MEDICA PARISINA.

Professores.

Domini	Domini
LANDRÉ-BEAUVAIS, Decanus.	
ADELON.	DUMÉRIL.
ALIBERT.	DUPUYTREN, *Examinator.*
ANDRAL.	FIZEAU.
BOUGON, *Vicarius.*	FOUQUIER.
BOYER.	GUILBERT.
CAYOL.	MARJOLIN, *Præses.*
CHOMEL.	ORFILA.
CLARION.	PELLETAN.
CRUVEILHIER.	RÉCAMIER.
DENEUX, *Examinator.*	RICHERAND.
DÉSORMEAUX, *Examinator.*	ROUX.
DUBOIS.	

Honorarii Professores.

DE JUSSIEU.	LALLEMENT.
DES GENETTES.	ROUX.
DEYEUX.	

Ad explendas Professorum vices adscripti.

BAUDELOCQUE.	DUBLED.
BAYLE.	DUBOIS.
BÉRARD.	GERDY.
BLANDIN.	GIBERT.
BOUILLAUD.	HATIN.
BOUVIER.	LISFRANC.
BRIQUET.	MARTIN-SOLON.
BRONGNIART.	PIORRY.
CLOQUET.	ROCHOUX.
COTTEREAU, *Vicarius.*	SANDRAS.
DANCE, *Examinator.*	TROUSSEAU.
DEVERGIE, *Examinator.*	VELPEAU.

Nono decembris mensis die, anno 1798, Scholæ medicæ Professores opiniones in dissertationibus exhibitis emissas auctoribus proprias habendas esse, et illas à se nec approbari nec improbari, statuerunt.

PATRI

OPTIMO ATQUE COLENDISSIMO,

MATRI

AMANTISSIMÆ,

HANCCE THESIM,
PIETATIS ERGO ET OBSEQUII,
FILIUS DEVOTISSIMUS

D. D. C.

SALUBERRIMÆ

FACULTATI MEDICÆ PARISIENSI

AUCTOR

PRO MUNERIBUS SIBI EROGATIS,

NECNON

BENEFICIO RECEPTIONIS SUÆ GRATUITÆ,
ANIMI GRATI
MONUMENTUM,
HANC THESIM

D. D. C.



Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/propositionesmed0000unse

EGREGIO ERUDITOQUE CIVI,

PARISIENSIS FACULTATIS MEDICÆ

PROFESSORI,

IN HOSPITIO DE DICTO BAUJON

CHIRURGO,

PATRONO FAVENTI,

MARJOLIN;

ET

OPTIMO VIRO, INDAGATORI DOCTISSIMO,

CHIRURGO CELEBERRIMO

REGIS OPTIMI,

DISTEL.

HANCCE MEDICAM

ATQUE PHILOSOPHICAM

THESIM

D. D. C.

PH. HUTIN.

ACADEMIA PARISIENSIS.

FACULTAS MEDICÆ.

PROPOSITIONES

MEDICO-PRACTICÆ AC PHILOSOPHICÆ.

I.

Præter medicas artes atque doctrinam, non secùs ac humanam et urbanam indolem, ingeniorum atque animorum notitiam, medicus accuratam habeat.

II.

Hoc sanè insulsum quibusdam medicis, quòd totam opem medicam in sanguinis effusione, dieteticâ et aquâ calidâ posuerint.

III.

Generatìm omittenda est medicatio antiphlogistica postquàm adhibita pro viribus ægrotantis ac morbi acuitate, ad nihilum prorsùs evenit; ne ex nimiâ debilitate, morbi resolutio non fieri possit.

IV.

Neque satis hominis suprema reverentur medici, cùm ad morientis extremos angores, actuosas immaniter admovent artes, ut sinapismos, ebullientem aquam, vesicatorios, candentem ferrum, et sic de cæteris, quæ omnia, etiam postquàm nulla est spes salutis reliqua, adhibentur.

V.

Vulgò mihi sæpè videntur administrari medicamenta portiunculis minoribus; largioribus verò uti, satiùs ac minùs infensum censeo; cujus axiomatis argumenta sunt nitras potassii in hydropisiis, sulfas quininæ in morbis periodicis, et sic de cæteris.

VI.

Haud immeritò putaveris quâ ratione medicinales scientiæ progrediuntur, eâdem artem curandi proficere; quod tamen longè aliter evenit. Cùm enim singulis ætatibus, mirum in modum creverint scientiæ, minimo lumine, indè, artem ipsam illustratam fuisse; imò etiam sub quodam respectu imminutam videre est.

VII.

Etsi ea sit secandi cadaveris utilitas ut nullo pacto sit inficienda, imò etiam opera quæ genuerit laus maximè commendanda, tamen non videntur vitio alieni medici, nimiò pluris hunc laborem habuisse et ita organicis alterationibus conturbatos fuisse ut apud ægrum advocati, inter morbi gravitatem et medicamina administranda sæpè sæpiùs ancipites visi fuerint.

VIII.

Sæpiùs et nunc etiam quotidiè curantur pro rhumatismis, dolores ex affectione medullæ spinalis aut ejus tegumentorum exorti; nos ipsi istiusmodi errores deprehensos, etiam in cadavere aliquotiès demonstravimus.

IX.

Arthritis inter insanabiles morbos non referenda videtur. Multos enim novi qui, adversante fortunâ, facti egeni, post vitæ genus immutatum et ciborum abstinentiam molestè sibi impositam, ex hac penitùs convaluerint cùm eidem anteà fuissent maximè obnoxii. Quapropter ego, modo rigido, quibusdam etiam sanguinis evacuationibus atque vitæ consuetudini congruenti, postquàm duo arthriti laborantes subjeci, illos ne minimùm quidem istius sensum, duobus abhinc annis, habuisse expertus sum.

X.

Phthisis casu concepta non medicam opem exsuperat; non unus sanè phthisi affectus morti damnatus et reluctanti naturæ miserè derelictus, pravæ opinioni medicantis pœnas dedit. Si tamen post phthisim agnitam, nedùm ægrum desperatum desererent, curationis rationes ac medicæ artis maturiùs penderent medici, ad felicem exitum eorum diligentiam non semel deventuram certissimè confido. Exemplum habeo duos istiusmodi ægros ad perfectam valetudinem à me restitutos, atque etiam tertium qui cùm optimè convaluisset, et ei caverna pulmonaria ad cicatricem jam adducta fuisset, è meo conspectu evanuit.

XI.

In phthisi pulmonariâ ità distinctam indolem pulsus exhibet, ut

eo ipso à medico experto ferè hic morbus agnoscatur ; ea est enim exilitas, frequentia, durities, quæ nunquàm aliàs occurrunt.

XII.

In phthisi pulmonariâ tractandâ si chloris inspirationes utiliter adhibendæ videantur, hoc tantummodò fiat ultimo tempore cùm sit secretio purulenta exhaurienda et adjuvanda cavernarum cicatrisatio.

XIII.

Sex ampliùs annis utor modo percutiendi pectoris, cæteris ut mihi videtur anteponendo ; sinistrâ enim manu planè pectori applicatâ secundùm costas, si super eam dextrâ percutias, multò minor fit laborantis sensus, idemque medico perlucidior.

XIV.

Quandoquè dùm prævalidâ cogitatione animus involvitur ac vehementer commovetur, œconomiæ functiones teterrimè perturbari videas ut pro morbo gravi organico possint accipi.

XV.

Medicæ disciplinæ mirum in modum nunc provectæ florent, præter therapeuticam earum præcipuam in ipsis adhuc cunabulis languentem, si vel minimùm enim quemvis medicum ineunte artis curriculo observaveris, paucioribus medendi rationibus instructum brevi deprehendas atque minùs eis confidentem ; imò nonnulli mihi cogniti in tantam suspicionem devenerunt ut de ipsâ arte medicâ dubitaverint.

XVI.

Materia medica atque pharmacologia magno lumine è chemiâ inclaruerunt, minùs autem à medicis excultâ, cùm in medicamentis consociandis eis prælucere deberet; ne ab ipsis quotidiè videris componi substantias mox et vicissìm resolvendas quarumve actio organoleptica adversa fuerit.

Hoc nempè vitium est gravissimum quò plerique vergunt hodierni medici, ut opium cùm tonicis medicamentis lenioribus efficiendis commisceant, videlicet cum cinchonâ in morbis periodicis, namque magnam partem virtutis hujus ab eo infringi et auctiorem copiam hinc adhibendam comperi.

XVII.

Haud meritò ejicitur et in ludibrium vertitur magnetismus strenuum medicinæ adjumentum.

XVIII.

Animus somno gravatus nil minimè invigilare dicendus est ut à quibusdam hodiernis philosophiæ doctoribus falsò perhibetur.

XIX.

Haud immeritò nullum effectum esse sine causâ atque invicem nullam causam sine effectu vulgò usurpatur; non tamen minori jure dixeris nullum moralem physicumve factum naturaliter prodire quin simul eodemque tempore causa et effectus fuerit.

XX.

Procul dubio experientiâ informatur animus, invalescit, illustratur tutiorem quoque sensum ac peritiam assequitur, nisi pravo judicio provecta, et pejoribus observandi rationibus instruita aut etiam quodam systemate detorta, infensum pariat medicum.

FINIS.

ΙΠΠΟΚΡΑΤΟΥΣ ᾽ΑΦΟΡΙΣΜΟΙ᾽.

Α᾽.

Ὁ βιος βραχυς, ἡ δὲ τεχνη μακρη, ὁ δὲ καιρος ὀξυς, ἡ δὲ πειρα σφαλερη, ἡ δὲ κρισις χαλεπὴ.

Β᾽.

Ὅκου παραφροσυνην ὕπνος παυει, ἀγαθον.

Γ᾽.

Ἐπι τρωματι σπασμος ἐπιγενομενος, θανάσμος.

Δ᾽.

᾽Οκόσοι αἷμα ἀφρῶδες ἀναπτυουσι, τουτοῖσι ἀναγωγη ἐκ του πλευμονος γινεται.

Ε᾽.

Κόποι αὐτοματοι φράζουσι νόσους.

HIPPOCRATIS APHORISMI.

I.

Vita brevis, ars longa, occasio præceps, experientia fallax, judicium difficile.

II.

Ubi delirium somnus sedat, bonum.

III.

Convulsio si superveniat vulneri, lethalis est.

IV.

Qui sanguinem spumantem despuunt, iis ex pulmone educitur.

V.

Lassitudines sponte obortæ, morbos prænuntiant.